



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio septima. vtrum hæc virtus miraculorum Christi se extendat ad
effectus loco distantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Vtrum hæc virtus miraculorum Christi se extendat ad effectus loco distantes.

EXpluimus, quid sit hæc gratia miraculorum, & quomodo attingat effectus suos, nunc oportet nonnullas difficultates circa hoc occurrentes, & præcipue tres grauiiores, sigillatim tractare, vbi obiter explicabimus, ad quos effectus se extendat hæc virtus.

Primo ergo difficultas est, an indigeat humanitas Christi contactu physico, seu propinquitate locali ad rem aliam, vt circa illam possit miraculose operari. Et ratio dubij esse potest, quia propinquitas seu contactus est in omni agente physico necessaria conditio ad agendum, adeo vt Deus ipse illam requirat ad agendum per diuinitatem suam, operari enim non potest, nisi vbi est, vt in prima parte, qu. 8. Diuus Thomas docet, & sumitur ex Paul. 1. Cor. 17. vbi inde colligit, Deum non longe abesse ab vnoquoque nostrum, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus: est ergo conditio omnino intrinseca, & necessaria omni agenti physico, seu omni causæ proprie efficienti. Et confirmatur, nam diuinitas operari non potest, nisi vbi est præsens, idque non propter solam immensitatem, sed propter ipsam effectiorem: ergo nec potest communicare humanitati, vt operetur, vbi non est. Et confirmatur, quia non potest operari humanitas, quando non existit, seu in res tempore distantes: ergo neque vbi non existit, seu circa res loco distantes.

In hac difficultate, quidam propter rationes factas existimant, Christum per humanitatem suam tantum potuisse efficere miracula per contactum physicum, vel intra illam sphaeram, per quam diffundi poterat vox eius, vel alia similis actio: vnde si interdum ultra hanc distantiam fiebat effectus, negant per veram efficientiam humanitatis fuisse factum, sed solum per moralem concursum, nisi fingamus, aliquam realem qualitatem diffusam esse ab humanitate, vsque ad locum, vbi fiebat effectus, per quam instrumentaria virtus applicabatur. Quod tamen omnino gratis, & sine fundamento diceretur, & non difficile impugnari posset ex supra dictis contra opinionem, quæ virtutem hanc ponit in qualitate inherente.

Contraria tamen sententia mihi videtur probabilior, nimirum, humanitatem Christi posse operari miraculose, vbi non est localiter præsens, etiam si illud non attingat per se, nec per vllam virtutem realem diffusam, sed solum per actionem, quia ibi effectus sit dependenter ab humanitate alibi existente. Quam sententiam tenent communiter Thomistæ hic, & Vega lib. 7. in Trident. c. 14. dub. 1. & colligitur ex S. Thoma, q. 56. art. 1. ad 3. vbi ait, contactum virtuale sufficere ad hanc efficientiam propter infinitam virtutem diuinitatis. Et probari potest, quia Christus Dominus eodem modo operabatur hæc miracula in locis distantibus, sicut in propinquis. Deinde, quia nulla ostenditur repugnantia in hoc modo operandi quia illa conditio, scilicet, vt agens & passum sint simul iuxta probabilem sententiam grauium autorum, non est simpliciter necessaria ad agendum, etiam in agentibus naturalibus. Et quamuis demus, ex natura rei esse necessariam, tamen, cum non sit per se, neque intrinsece requisita in ipso principio agendi, neque in actione, nulla est ratio, cur etiam de potentia absoluta necessaria sit. Quod ita confirmatur, nam Christus, tangendo, verbi gratia, infirmum, sanabat illum, sed ille contactus nullam virtutem seu efficaciam addebat humanitati Christi, ergo poterat etiam sine illo eundem effectum facere. Dicere enim, illum contactum esse conditionem de potentia absoluta ita necessariam, vt sine illa non

seum efficere in nobis hos actus, vel etiam excitare aut facere, vt faciamus, quoad hoc ergo, quod ipse facit, potest creatura vti vt instrumento, quia secundum eam rationem non inuoluitur repugnantia, cum ille sit influxus agentis extrinseci, à quo non sumit actus formaliter, quod vitalis sit, sed effectiue tantum: in quo genere potest Deus per creaturam facere, quod se solo facit. Et eadem ratione potest Deus per se supplere in actu vitali concursum speciei intelligibilis, vel habitus, quia actus non habet inde formaliter, quod vitalis sit. Vnde potest etiam illi concurrere supplere per aliam creaturam vt per instrumentum: ergo & influxum, quem ipse adhibet, potest communicare cum creatura, vtendo illa vt instrumento. Oportet ergo distinguere in actu vitali concursum illum prædictum, vnde habet, quod actus vitalis sit, seu (vt ita dicam) vt sit exercitum vitæ formaliter, & ad hunc non potest adhiberi extrinsecum vel inanime instrumentum, tamen ex ratione, quia actus vitalis requirit, vel admittit alios concursus extrinsecos, qui dici possunt non vitales, nihil repugnat, quod ad illum efficiendum adhibeatur extrinsecum instrumentum, etiam inanime. Et eadem ratione, supponendo, posse Deum se solo producere totam entitatem actus vitæ, saltem extra subiectum, in quo actu exerceat munus formæ vitalis, etiam poterit tunc talis actus fieri per quamcunque creaturam vt instrumentum Dei, quia vt sic, non pendet essentialiter à principio intrinseco, & hoc scilicet, alium de non est repugnantia. Et hæc sunt satis de priori illimitatione huius potentie obedientialis.

De posteriori autem res est facillima ex dictis, nam hæc potentia nihil addit supra vius cuiusque rei entitatem: ergo non potest esse intensiue aut entitatiue magis infinita, imo nec magis perfecta, quam sit entitas, cui conuenire dicitur. Neque hoc posterius repugnat illi priori illimitationi, quia illa non tam oritur ex perfectione entitatis, quæ hanc potentiam obedientialem habet, quam ex perfecta subiectione, quam habet ad Deum, & ex infinito dominio & potestate Dei. Eo vel maxime, quod omnis concursus, quem creatura in hoc modo efficiendi potest adhibere, est finitus & imperfectus, vnde non commensuratur perfectioni effectus, sed modo concurrendi ipsius instrumenti, qui est per eleuationem & subiectionem ad infinitam virtutem vt præcipue operantem. Et propter eandem causam non est inconueniens, quod hæc potentia omnibus creatis entibus conueniat, siue perfectis, siue imperfectis sint: quia non commensuratur perfectioni eorum, nec conuenit illis, nisi quatenus entia creata sunt primo generali subordinata, neque aliam proportionem aut habitudinem requirit cum effectum. Ex eadem autem radice procedit, vt hæc potentia obedientialis, seu hic modus agendi instrumentalis, non extendatur ad diuinas & increatas relationes, quia supponit imperfectiorem, quæ illis conuenire non potest, vt in 3. tomo, tractando de efficientia sacramentorum, iterum dicam. Denique ex eodem principio oritur, vt hæc potentia determinetur ad agendum, iuxta concursum principalis agentis, à cuius voluntate & auxilio potissimum pender in agendo. Neque hoc est contra rationem potentie actiue, quæ superiori agenti subordinatur, vt patet etiam in naturalibus, nam potentia progressiua (verbi gratia) actiua est, & de se indifferens ad mouendum hæc & illac, aut sursum vel deorsum, per voluntatem autem vel appetitum, ad hunc modum potius, quam ad alium determinatur, ad hunc ergo modum intelligi potest in hac potentia, quamuis non oporteat in omnibus, esse similitudinem, quia concursus diuinus cum his instrumentis, aliter rationis est, & ipse se accommodat his instrumentis iuxta vniuersumque rationem & exigentiam, secundum diuinæ prouidentie sapientiam, infinitamque potentiam.

Vega.
D. Thom.

Virtus miraculorum Christi ad effectus loco distantes extendit.
Ioan.
Gregor.
Mag.

non possit fieri effectus, incredibile est, cum nulla repugnantia, aut contradictio in hoc appareat, & simile est de voce Christi, quando per illam operabitur miracula: quis enim credat oportuisse, ut realiter perveniret usque ad infernum, seu sinum Abraham, ut inde animam Lazari revocaret? aut, cum dixit Ioan. 4. *Vade, filius tuus vivit*, fuisse necessarium, ut vox illa perveniret usque ad locum, in quo erat filius Reguli, ut per illam, sanitatem ei præstare posset? Vnde Greg. hom. 28. in Euangel. notat, Regulum illum imperfectam fidem habuisse, eo quod corporalem præsentiam Domini requireret, ut filium suum sanare posset.

Ad rationem ergo dubitandi in principio positam responderi solet, ad agendum necessarium esse, ut principale principium actionis attingat effectum, vel per se ipsum, vel per instrumentum: quia ergo divinitas Christi est principale principium harum actionum, & illa est ubique, ideo per humanitatem potest illas efficere, etiam ubi humanitas non est. Sed contra hanc responsionem urgeri potest, quia actio, quæ sit per instrumentum, proxime ab illo pendet, alias instrumentum nihil efficere; ergo, si contractus necessarius est, maxime in ipso instrumento, alias pari modo dici posset, causas secundas naturales non requirere hunc contractum, quia Deus, qui cum illis concurrat, & suo modo per illas operatur, ubique est. Respondetur tamen, hanc conditionem non esse essentiali actioni, seu virtuti agendi, sed requiri interdum, iuxta proportionem virtutis actionis: agentia enim naturalia, quia habent finitam virtutem, & imperfectum ac determinatum agendi modum, illam conditionem fortasse requirunt; Deus vero, non ex indigentia virtutis agendi, sed ex immensitate sua, & ex infinita perfectione habet, ut non opereatur, nisi ubi est: tum quia non potest non ubique esse: tum etiam, quia sicut in esse, ita & in operari perfectissimum modum sibi vendicat. Vel vero instrumenta Dei, neque agunt per potentiam naturalem, ut inde limitentur ad agendum per contactum, neque habent tam perfectum modum existendi, vel operandi, ut ex hac parte illis repugnet operari, ubi non sunt, & ideo hoc illis communicari potest per infinitam Dei virtutem, cui obediunt, & in qua principaliter nituntur in actione sua. Et per hoc patet ad primam confirmationem: ad secundam vero dicitur sectio sequenti.

SECTIO VIII.

Vtrum hæc gratia miraculorum se extendat ad operandum effectus tempore distantes, seu ad efficiendum per instrumentum actu non existens.

HÆC est secunda difficultas huius materie, & oritur ex duplici capite. Primum est de effectibus gratiæ, qui tempore antecesserunt Christi humanitatem, seu Incarnationem, quos certum est mansisse à Christo homine, ut à causa meritoria: difficultas vero est, an ab illo etiam manaverint, ut à causa efficiente, ita ut humanitas Christi fuerit physicum instrumentum, per quod Deus effecit gratiam in hominibus, qui ipsam præcesserunt. Quidam enim Theologi hoc affirmare voluerunt, inter quos est Capreolus in 4. distin. 13. quæst. unica, artic. 3. ad argumenta contra primam conclusionem circa finem & Sotus in 4. distin. 1. q. 2. art. 3. & in fine totius 4. qui nullo fundamento nituntur. Sotus enim solum allegat quædam testimonia Pauli ad Roman. 3. & sæpe alias docentis, antiquos Patres fuisse iustificatos in fide Christi: ex quo non potest colligi efficientia physica, sed solum, quod propter merita Christi præmissa, gratia antiquis Patribus collata sit, & ideo fides eius fuerit semper necessaria ad illam iustitiam consequendam: repugnat autem hæc sententia cum D. Thom. doctrina infra quæst. 62. artic. quinto & se-

Axto, ubi negat, passionem Christi, antequam facta esset, potuisse efficienter operari per sacramenta veteris legis, quia causa efficiens non potest esse duratione posterior, quam effectus, & reliqui omnes discipuli Domini Thomæ in hoc illi consentiunt. Et ratio clara est, quam ipse Divus Thomas tetigit, quia causa efficiens requirit realem existentiam, ut efficere possit: sicut enim causa finalis requirit saltem esse apprehensum, ut in suo genere causet, & implicat finem causare, nisi saltem apprehensus sit ita causa efficiens requirit esse actualis existentie, ut efficere possit. Quod in primis patet ex communi omnium Philosophorum consensu, imo ex communi conceptione omnium hominum, nam cum efficere, significare esse reale per veram actionem, & influxum realem, nec mente concipi potest quomodo talis actio manet, & pendat ab eo, quod nondum est. Vnde arguitur secundo, quia efficere aliquid, includit dependentiam realem effectus à causa; dependere autem realiter, intrinsece includit, ut id, quod dependet, existere non possit sine alio; id enim, quod existere potest, etiam si aliud non existat, non potest dici vere dependere ab illo; in quo enim consistet hæc dependentia? implicat ergo dicere, effectum dependere à causa, sine qua esse potest, & existere, antequam illa existat, loquendo de propria, & physica dependentia in genere causæ efficientis. Tercio hic habet locum argumentum illud, quod causa, vel instrumentum agere non potest sine virtute agendi, res autem, quæ non existit, nullam virtutem agendi habet, quia nihil est; vnde nec potentiam naturalem habet nec obedientialem, quia hæc fundari debet saltem in entitate rei, vnde nec elevari potest, nec moveri à primo agente, nec concursus recipere: quomodo enim hæc cadere possunt in id, quod est nihil? Quarto denique ab inconuenienti, nam alias sequitur, posse creaturam assumi ut reale & physicum instrumentum ad sui creationem, vel productionem: nam si aliqua specialis repugnantia in hoc intercedit, maxime, quod supponeretur existens, antequam esset producta: sed hoc non sequitur, iuxta hanc sententiam quæ affirmat, potuisse humanitatem Christi esse physicum instrumentum antequam existeret; consequens autem est plane falsum, & contra omnes, & expresse contra Divum Thomam in hac quæst. artic. 2.

D Sed dicunt aliqui, Christi humanitatem non potuisse efficere gratiam antiquorum Patrum secundum suum esse reale, quia illud nondum habebat, ut bene probant argumenta facta: effecisse tamen illam secundum esse apprehensum, quod habebat in fide credentium, sicut nonnulli Philosophi dicunt, obiectum apprehensum mouere efficienter voluntatem. Sed hæc sententia, si eius sensus tantum sit, Deum usum fuisse fidei Christi tanquam instrumento physico ad efficiendam gratiam in anima, non est quidem impossibilis, ut per se constat: non est tamen vera, neque ad modum probabilis, tum quia nullo fundamento probabilis nititur, sed profus diuinat: tum etiam, quia nunc, quando homo iustificatur per dispositionem propriam sine sacramento, gratia non fit efficienter ab actu fidei vel charitatis, ut constat ex materia de gratia, & de charitate; & tamen etiam nunc iustificatur homo per fidem Christi, & perfectius quam antea.

Quod ergo ad hanc primam partem huius difficultatis attinet, dicendum est, Christi humanitatem non fuisse instrumentum physicum ad aliquid quod opus efficiendum prius, quam existeret & vnita esset Verbo, quia hoc implicat apertam contradictionem, ut ostensum est. Nec mirum est, quod sic illa humanitas, antequam existeret, non habuit gratiam prophetie, nec gratiam linguarum, vel aliam quamcunque gratis datam, aut gratum facientem, ita nec habuit gratiam sanitatum vel operationum: eadem

Responsio
ad argum.

Simultas loci
causæ agentis
& passivi,
quomodo necessaria sit
ad actionem.

Capreol.

S. 1.

Rom. 3.

D. Thom.